

Ecclesiae traditione et praxi. Etenim concilium Carthaginense III. statuit: *ut nihil amplius offeratur, quam ipse Dominus tradidit, hoc est, panis et vinum aqua mixtum* (1). Eadem habent s. Justinus (Num. 65), s. Cyprianus (Epist. LXIII. ad Cæcilium), alique patres, ac monumenta omnia antiquitatis ecclesiasticæ. Hinc s. Augustinus scribens de aquariis: *Aquam, inquit, offerunt in poculo sacramenti, non illud quod omnis Ecclesia* (Lib. de hæresib. Hæres. LXIV). Itaque si solum vinum de vite est apta consecrationis materia, ineptus erit quilibet alterius generis liquor: nulli enim mutationi subest materia a Christo instituta.

Obijciebant aquarii verba Christi apud Joannem VII. 57. et seqq. *Si quis sitiit, veniat ad me, et bibat. Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ*. Quibus respondebat s. Cyprianus, his verbis non eucharistiæ, sed baptismi significatum esse sacramentum, seu potius collationem Spiritus sancti, prout ea exponit ibidem ipse evangelista.

Afferebant præterea exemplum quorundam episcoporum. Verum episcopi illi solam aquam offerebant, ne ex vini odore in suspicionem venirent religionis christianæ apud ethnicos, et ad mortem quaererentur. Quam ob ignaviam vapulant a s. Cypriano, qui tamen nullam eis hæreseos notam inussit, quia non ex errore hoc faciebant, sed ex timore (2).

Protestantes in propriæ sententiæ subsidium afferebant decretum Innocentii VIII quo facultatem concessisse perhibetur Norvegis, ut sine calice sacrificium offerrent. Ast notum est illud privilegium esse commentitium atque a Dominico Viterbiensi, et Francisco Maldente Norvegis obrusum, quorum fraus ut detecta est, capitali pœna ambo mulctati sunt, ut refert Raynaldus (Ad an. 1490. n. 22).

PROPOSITIO III. — *Aqua miscenda est vino in calice offerendo.*

Est de fide; etenim concilium Tridentinum sess. XXII. hunc canonem edidit: *Si quis dixerit aquam non miscendam esse vino in calice offerendo eo quod sit contra Christi institutionem, anath. sit* (3). Ferit porro hic canon directe novatores, qui accensuerunt humanis figmentis ejusmodi commixtionem, aut saltem rem liberam esse autumarunt. Quamvis autem recentiores protestantes jam ultro fateantur Christum aqua vinum in calice quem consecravit, permiscuisse (4)

pascua legale, cum omnes servaverit ritus in eo servari ab Hebræis consuetos.

(1) Apud Hard. *Acta conc.* tom. I. col. 964. et est canon. XXIV.

(2) Accurate scripsit de Aquariis Christ. Lupus in schol. ad can. XXXII conc. Trullani. opp. ed. Venet. 1724. tom. III.

(3) Jam alias monui quod, licet objectum quorundam canonum quos edidit conc. Tridentinum sit solum disciplinare, cum tamen indirecte afficiat potestatem Ecclesiæ a Christo concessam, ideo dogmatici sunt censendi.

(4) Cf. Kuinoel *Comment. in lib. N. T. historic.* in Matth. XXVI. 26. qui præterea affert textum ex *pesahhûm* f. 117. quem paulo ante inuimus, nempe: *«Poculum tertium est poculum benedictionis, cum benedicitur post cibum. Vinum purum infunditur, et fit commixtio aquæ in poculo*

ac totam antiquitatem ad exemplum Christi hanc praxim secutam esse, tamen malunt se conformare exemplo monophysitarum et armenorum schismaticorum, qui vinum purum in usum sacrificii adsciverunt ad suum errorem de unica in Christo natura confirmandum, quam exemplo Christi et Ecclesiæ catholicæ.

Animadvertendum tamen est nos minime hanc aquam immixtionem propugnare perinde ac si ad essentiam sacramenti aut sacrificii pertineret; etenim, ut loquitur catechismus Rom. *Quamvis aquæ admiscendæ ita graves sunt rationes, ut eam sine mortali peccato prætermittere non liceat; ea tamen, si desit sacramentum constare potest* (p. 2. cap. 4. 16). Neque etiam eam propugnari necessariam ex præcepto divino, quod ex solo facto Christi desumi nequit; alias panis azymus, alique non pauca dicenda essent a Christo præcepta quod nemo dixerit. Propugnari igitur, eam necessariam esse ex præcepto ecclesiastico, quod potest ex usu nunquam interrupto ipsius Ecclesiæ, et ex pluribus canonibus, qui illud supponunt, et ex liturgiis quæ eandem admixtionem præcipiunt.

Sic determinato propositionis sensu, jam accedimus ad ejus veritatem evincendam. Evincimus autem ex universa traditione. Hujus siquidem testes sunt 1. patres antiquissimi; nam s. Irenæus memorat *temperamentum calicis* (1), et præterea scribit: *Quando et mixtus calix, et fractus panis percipit verbum Dei, fit eucharistia sanguinis et corporis Christi* (2); s. Cyprianus: *Quando in calice, inquit, vino aqua miscetur, Christo populus adunatur* (3); eadem habent s. Justinus, s. Cyrillus. Hieros. alique passim (4). 2. Hujus praxis præterea monumenta certissima sunt antiquissimæ liturgiæ ss. Jacobi, Marci, Basilii, Cyrilli, alique orientales omnes apud Renaudotium qui de hac mixtione aquæ loquens, *Quam, inquit, omnes ecclesiasticæ orientalium leges præscribunt* (5); necnon occidentales apud Le Brun, Muratorium et Assemanum; 3. Idipsum constat ex conciliis Carthaginensi III. Bracarense, Trullano, Wormatiensi (6), ita ut nullum subesse possit de hac traditione et praxi dubium. 4. Constat demum ex confessione, ut vidimus, recentiorum protestantium.

Tres hujus ritus rationes affert Tridentina synodus, sess. XXII, c. VII. dicens: *Monet sancta synodus præceptum esse ab Ecclesia sacerdotibus, ut aquam vino in*

Quartum est, super quo perficit Hallel, additque benedictionem cantici: *laudent te, Domine, omnia opera tua, et benedictus sit, qui creavit fructum vitis: et postea quicquam non gustat [Israelita] illa nocte.* Verum in eo decipitur quod censuerit Christum eucharistiam instituisse post haustum quartum poculum. Cf. etiam Vossium disp. XXII. *De sacris dominicæ cænæ symbolis*. Thesi VIII.

(1) Lib. IV. *Conc. Hæres.* Cap. 55. n. 2. ed. Mass. al. 57.

(2) Lib. V. cap. 2. n. 5. *Ὁσίως καὶ τὸ κερματικὸν κερματικόν, καὶ ὁ γυναικὶς ἄριστος ἀπὸ τῆς λέξης τοῦ θεοῦ, καὶ ἔσονται ἡ εὐχαριστία τοῦ Χριστοῦ.* x. r. l. Ita in textu Massueti, videtur deesse *ἀλφα*.

(3) Epist. cit. LXIII. ed. Maur. p. 108.

(4) Cf. apud Bellarm. *De Euchar.* l. IV. cap. 10. n. 12. et seqq.

(5) *Liturg. Orient. collect.* tom. I. in *Comment. ad Liturg. Copt. s. Basilii* p. 194.

(6) Nonnulla ex his conciliorum documentis dedimus, alia cf. apud Bellarm. l. c.

calice offerendo miscerent: tum, quod Christus Dominus ita fecisse credatur, tum etiam quia e latere ejus aqua simul cum sanguine exivit, quod sacramentum hac mixtione recolitur, et, cum aquæ in Apocalypsi B. Joannis populi dicantur, ipsius populi fidelis cum capite Christo unio repræsentatur (1).

DIFFICULTATES. Obj. Rationes a Tridentino allegatæ nullius ponderis sunt. Etenim prima in Scripturis non reperitur; altera juxta Patres denotat sacramentum baptismi; tertia symbolica tantum est, ideoque nullam vim habet. 4. Quare merito concilium Aurelianense an. 541. celebratum statuit can. IV. *Ut nullus in oblatione sacri calicis, nisi quod fracta vite premitur, et hoc sine aqua mixtum, offerre præsumat*. Ergo.

Resp. Neg. Ant. ad 1. Dist. Ita tamen ut silentium Scripturarum suppleat traditio, uti ostendimus, C. ita ut non suppleat, N. Addendum, uti annotavimus, recentiores protestantes id jam nobis concedere; verum in hoc falluntur, quod hunc ritum ex sola vinorum orientalium generositate repellant, exclusa quavis mystica significatione. Contra vero patres nunquam eam rationem attulerunt. Imo ipsi Hebræi in hac mixtione mysterium agnoscent (2).

Ad 2. Dist. Aqua quæ ex Christi latere fluxit juxta patres etiam sacramentum baptismi denotat, C. solum, N. Nulla enim est repugnantia, quod eadem res plura et diversa significet (3).

Ad 3. Dist. Symbolica est, et proinde non est demonstrativa, C. nullam vim saltem congruentiæ habet, N. Neque enim patres Tridentini eam rationem ut demonstrativam attulerunt, sed posita veteris Ecclesiæ consuetudine, ejusdem mysticam significationem exposuerunt (4).

Ad 4. Neg. In accuratioribus enim editionibus concilii Aurelianensis IV sic legitur objectus canon: *Ut nullus in oblatione sacri calicis, nisi quod ex fructu*

(1) Scholastici solent hic varias instituere questiones, utrum scilicet, aqua convertatur in sanguinem necne; utrum convertatur in aquam, quæ ex latere Christi fluxit; utrum convertatur prius in vinum, ac deinde in sanguinem, an vero immediate in sanguinem. Si quis his oblectetur aliusve similibus questionibus eos adeat. Cf. præsertim Raymond. Capisacchium Ord. Pr. *controversiæ Theologicæ selectæ*. Romæ 1670. Qu. unic. *An aqua sacri calicis transubstantietur immediate in sanguinem Christi* quam prosequitur totis 53 paragraphis.

(2) In *Tur schulchan-Haruch*, seu *Summa Theologica*, Tract. *Benedictionis post cænam* n. 183. § 2. legitur: *Debet in calicem immitti vinum purum, cum vero pervenitur ad benedictionem terræ (seu fructus vitis) miscetur.* Annotat vero in hunc locum Maghen Abraham: *Rabbi auctor libri Bet-yoseph scribit: Quod hic usus viget in regione sua, quamvis vina minime generosa sint. Etenim in eo continetur mysterium cabbalisticum [id est traditionale], וְהָיָה כַּד הָיָה הַיַּיִן, alique motiva.* Cf. præterea Rolandum *Antiqq. Hebr.* p. 286. ubi agit de *עֲרֵב הַיַּיִן*. Lightfootum *Hor. Hebr. et Talm.* pag. 476. 478. et seqq. edit. Carizov. Schœttgenum, *Horæ Hebr.* tom. I. p. 227. et seqq.

(3) Cf. Bened. XIV. *de sacrif. missæ*. Lib. n. c. 10. n. 10.

(4) Concilium Trid. fere ad verbum desumpsit ex s. Cypriano symboliceam seu potius mysticam expositionem quam attulimus ritus miscendi aquam in calice. En quomodo S. Martyr scribat ep. 65. ad Cæcil. p. 108. edit. Maur. *«Aquis namque populos significari in Apocalypsi scriptura divina declarat dicens: Aquas quas ridisti, etc. Quod scilicet percipimus et in sacramento calicis contineri.»*

vineæ speratur, et hoc aqua mixtum, offerre præsumat (1).

PROPOSITIO IV. — *Solus sacerdos conficiens est immediatus et proprie dictus offerens, et minister sacrificii eucharistici; fideles autem adstantes non nisi mediati, et improprie dicti offerentes et celebrantes sunt.*

Est certa ac fidei proxima, ut ex dicendis patebit. Ne in ambiguo versari videamur, nonnulla circa verum quæstionis statum breviter perstringenda sunt. Ac. 1. non agi de offerente primario, qui est Christus Dominus, per se patet. Ex Tridentino enim sess. XXII. cap. II. *Una est hostia, idem nunc offerens Christus Jesus sacerdotum ministerio*. Sermo igitur est de offerente secundario, qui juxta doctrinam catholicam immediatus et proprie dictus est solus sacerdos qui conficit eucharistiam; juxta neotericos autem etiam sunt fideles. 2. Non eo sensu adversarii, quos impugnamus, contendunt fideles esse pariter offerentes immediatos et proprie dictos, quod ipsis tribuant facultatem consecrandi, sed quatenus participant de eucharistia per communionem liturgicam. 3. Ideo autem in horum sententia fideles per communionem liturgicam proprii ac immediati offerentes dicendi sunt, quia juxta ipsos essentia sacrificii non in consecratione consistit, sed in *sola consummatione*, seu in participatione de victima, quæ cum sit tam sacerdoti quam populo communis, inferunt communem ex aquo utriusque esse actionem sacrificialem, adeoque utrosque eadem ratione esse offerentes ac celebrantes. In istorum enim hypothesi consecratio non est nisi conditio sine qua non potest offerri sacrificium (2). 4. Juxta catholicam doctrinam solus sacerdos est proprie dictus offerens immediatus ac quatenus ipse solus totam complet actionem sacrificii, fideles vero tantum mediati ac improprie dicti offerentes sunt, idque triplici potissimum de causa, tum quia sacerdos ut minister publicus omnium nomine, seu nomine totius Ecclesiæ offert sacrificium, et preces in eo fundit; tum quia fideles interiori affectu uniantur cum sacerdote ad sacrificium Deo offerendum; tum denique quia concurrunt oblationibus atque elemosynis in eum finem, ut sacrificium a sacerdote offeratur (3).

Sensu propositionis ita explanato, sic ad ejus veritatem vindicandam accedimus. Doctrina adversariorum tota innititur duobus principiis, 1. quod essentia sacrificii eucharistici in sola participatione, seu consummatione consistat; 2. quod participatio ex parte populi ad sacrificii essentiam spectet, imo etiam eandem essentiam constituat (4). Porro primum omnino

(1) Cf. Jac. Sironi *Concilia antiqua Galliæ*. Lut. Paris. 1629. tom. I. pag. 261. et seqq. Labbe *Concil.* tom. V. col. 582. Harduinum *Acta concil.* tom. n. col. 1437.

(2) Ita Nannaronius in op. *Catechismo sulla comunione del s. sacrificio della messa*. tom. I. Dial. 1. p. 85. et seqq. Cf. etiam ejusdem *apologia del catechismo*, etc. Prop. 5. nec non: *Ristretto di proposizioni spettanti al sacrificio della messa estratte dal catechismo etc. colla annotazioni di Eusebio Filadelfio*.

(3) Cf. Vasquez in 5. P. s. Th. Disp. CCXXVII. cap. 1. n. 10. et seqq.

(4) Hunc esse sensum synodi Pistoriensis constat ex re-

nutat, cum ea sententia peculiaris sit paucorum theologorum et a communi doctrina prorsus aliena; vix enim unus vel alter theologus eam singularem sententiam docuit, quæ a ceteris explosa est, qui ad summum contendunt essentiam sacrificii tum in consecratione, tum in consummatione sacerdotis consistere (1). Alterum vero principium est falsum, ut constat ex iis, quæ superius disputavimus (Cap. 3. Prop. III), alioquin valor sacrificii missæ a liturgica adstantium communione penderet, quod abhorret a doctrina catholica et damnatum est tum a concilio Tridentino can. superius recitato, edito adversus lutheranos qui rejiciunt missas privatas, tum a Pio VI. in constit. *Auctorem fidei*. Hinc ne unus quidem ex theologis illis qui tenuerunt consummationem pertinere ad essentiam sacrificii seu esse partem essentiali sacrificii, asseruit populi communionem partem essentiali constituisse sacrificii. Sublatis igitur principiis evanescent corollarium inde deductum, quemadmodum everso fundamento corrui ædificium.

Hæc autem confirmantur ex doctrina concilii Tridentini, dum docet eundem nunc esse offerentem Christum sacerdotem ministerio: in hypothesi autem adversariorum debuisset dicere concilium: *fidelium adstantium cum sacerdote ministerio*. Alibi idem concilium, can. scilicet II. sess. XXII. definivit: *Si quis dixerit, illis verbis, hoc facite in meam commemorationem, Christum non instituisse apostolos sacerdotes, aut non ordinasse, ut ipsi, alique sacerdotes offerrent corpus et sanguinem suum, anath. sit*. Tantum igitur abest, ut, asserere fideles missæ adstantes veros proprie dictos ac immediatos esse offerentes, fidei dogma sit, quemadmodum adversarii autumant, ut fidei catholica id prorsus adversetur.

Accedit, quod si fideles essent proprie dicti offerentes, eosdem fore veros sacerdotes, cum ex doctrina apostoli Hebr. V. 1. Offerre sacrificia et munera sit officium proprium sacerdotis ad quod ex hominibus assumitur, ac pro hominibus constituitur. Tri-

solutionibus casuum conscientie, quæ ad usum cleri dioceseos Pistoriensis typis editæ sunt au. 1783. In his siquidem p. 73. legitur: «Sed nec solius sacerdotis est sacrificare... etiam fideles adstantes non latiori quodam sensu, sed vere et proprie sacrificant.» Deinde theologus ad parochos verba faciens ita prosequitur: «Ovibus suis demonstrant necessitatem communicandi ex particulis consecratis in missa cui adsunt ad hoc ut dici possit eos vere et perfecte sacrificare.»

(1) Ita inter ceteros tenet Bellarminus, ut vidimus lib. I. de *sacris missæ* cap. 17. n. 16. qui tamen expresse negat communionem populi pertinere ad sacrificii essentiam: his enim verbis proponit propositionem septimam: «Sacramenti consumptio, ut a populo fit, non est pars sacrificii: ut autem fit a sacerdote sacrificante, pars est essentialis, sed non tota essentia.» Deinde pergit explanans suam propositionem: «Quod attinet ad populi summptionem res certissima est: qui enim edunt victimas participes sunt altaris, ut Apostolus ait... Non est autem idem sacrificium offerre, et de altari participare.» Attamen ejus doctrina abutuntur adversarii. Ideo vero Bellarminus statuit, communionem quæ fit a sacerdote sacrificante partem esse essentiali sacrificii, quia adoptavit sacrificii definitionem, quam superius commemoravimus. Ita enim scribit: «In tota actione Missæ, ut mox ostendemus, nulla est alia realis destructio victimæ præter istam: requiriri autem realem destructionem supra probatum est, cum definitionem constitueremus.»

buere autem fidelibus laicis sacerdotium proprie dictum, hæreticum est atque a Tridentino anathemate confixum.

DIFFICULTATES. *Obj.* Liturgiæ exhibent sacrificium velut actionem communem populo adstanti et sacerdoti. Ceteris autem omissis, 1. in liturgia romana legitur: *Offerimus tibi, Domine, calicem salutaris... Sic fiat sacrificium nostrum in conspectu tuo hodie... Orate fratres ut meum ac vestrum sacrificium acceptabile fiat... Sacrificium laudis quod tibi offerimus, vel quod tibi offerunt*, etc. Ergo fideles adstantes vere et proprie offerunt, immolant atque sacrificant, prout etiam 2. docet Bossuetius in methodo assistendi missæ (4); quod quidem coheret patrum doctrinæ inter quos 3. s. Irenæus scribit: *Omnes justi sacerdotalem habent ordinem* (2); 4. s. Hieronymus commemorat sacerdotium laici (*In Dialogo adv. Lucifer. n. 4*); 5. s. Petrus Damiani hæc præclare scribit: *Luce clarius constat, quia sacrificium quod a sacerdote sacris altaribus superponitur a cuncta Dei familia generaliter offertur* (*In opusc. Dominus vobiscum. Cap. 8*), cui 6. concinit Guericus abbas dicens: *Non solum sacerdos sacrificat, sed totus conventus fidelium, qui adsunt, cum illo sacrificant* (*Serm. de Purificat.*). Nec desunt in antiquitate exempla missæ a laicis celebratæ, etenim 7. in actis s. Saturnini Felix qui laicus erat sic iudici respondit: *Ego mente devota celebravi Dominicum* (*in est sacrificium*), collectam cum fratribus feci quia christianus sum (3). 8. Refert præterea Evagrius Domnum antistitem Antiochenum et Simeonem Stylitam, hominem scilicet laicum, simul sacrificasse corpus immaculatum, et mutuam sibimetipsis dedisse vivificam communionem (*Hist. Eccl. lib. 1. cap. 15*); aliaque ejusmodi non pauca. Ergo.

Resp. Dist. Ant. Ratione fructus vel finis ob quem offertur, C. ratione actionis ipsius, *subd.* ob varias causas quas assignavimus, C. per simultaneum concursum ad eandem actionem constituendam, N. Multiplici utique sensu dici potest sacrificium commune sacerdoti et adstantibus, quia illud sacerdos offert, uti diximus, ut minister publicus, quia omnium nomine offert, quia omnes representat, quia ob communem offert utilitatem, non vero quasi actio divisa sit inter sacerdotem et adstantes.

Ad 1. Dist. At diversa ratione juxta dicta, C. eadem ratione, N. Offerunt etiam fideles, sed suo modo, mediante sacerdote, dum fide et devotione oblationem sacerdotis prosequuntur, cum quo et spiritu uniantur, vel etiam quod externum aliquod præstent missæ ministrando, vel necessaria ad sacrificium suppeditando. Quamvis vero ætate hæc nostra observaverint panis ac vini oblationes, attamen nulla in liturgiis

(1) In op. *Manière de bien entendre la sainte messe à l'Orate fratres*, ubi scribit: «Cet endroit de la messe est très-important. Le prêtre, prêt à entrer dans l'action du sacrifice, se retourne pour avertir les assistants que c'est en leur nom qu'il va offrir, et il demande la société de leurs prières dans le sacrifice qu'ils doivent offrir avec lui.»

(2) Lib. IV. *Cont. Hæres.* cap. 8. n. 3. al. cap. 18.
(3) Apud Ruinart. *Acta Martyr. sincera*. Edit. Veron. p. 514.

precibus mutatio facta est ab Ecclesia. Hinc si sacerdos dum offert calicem dicit: *Offerimus tibi, Domine, calicem*, ideo est, inquit Benedictus XIV. cum Card. Bora (1), quod juxta romanum ritum olim in missa solemniori sacerdos eam orationem recitabat simul eum diacono, qui vinum calici infuderat (quod nunc etiam fit), et sanguinem populo ministrabat. Idem vero ritus, qui ad missam solemnem pertinebat, in missa privata retentus est: et sic alia formulæ exponendæ sunt. Ceterum solum sacerdotem esse immediatum ac proprie dictum offerentem evincit formula, quæ in panis oblatione recitatur: *Suscipe, sancte Pater, omnipotens, æternus Deus, hanc immaculatam hostiam, quam tibi offero*; tum hæc qua sacerdos absolvit missam: *Placeat tibi, sancta Trinitas, obsequium servitutis mee, et præsta, ut sacrificium quod oculis tuæ Majestatis indignus obtuli, tibi sit acceptabile, mihi que et omnibus pro quibus illud obtuli, sit, te miserante, propitiabile.*

Ad 2. Dist. Mediante sacerdote, seu per manus sacerdotis, ut ibidem scribit Bossuetius (2), C. immediate et per se, N.

Ad 3. et 4. Dist. Justi sacerdotalem habent ordinem spirituales et improprie dictum, C. verum et proprie dictum, N. (5).

Ad 5. et 6. Dist. Suo modo ac latiori sensu juxta dicta, C. vere, proprie ac immediate, N. (*Cf. Adnotationem Vallarsi in h. l.*).

Ad 7. Dist. Id est interfui, C. vere obtuli, N. (*Cf. Ruinart. in loc. cit. not. 20*).

Ad 8. Dist. Nempe adstuit Simeon Domno sacrificium offerenti in altari prope columnam erecto, C. vere celebravit, N. Sic etiam dederunt sibi communionem vivificam, id est pacem per opusculum sanctum (4). Ex his patet quam ratione per vanum eruditionis apparatus Ecclesie perturbatores imperitis faciem faciant. Quod si leviter excutiantur quæ ab

(1) De *sacris missæ* lib. II. cap. 10. n. 7.

(2) Sic enim Bossuet exponit mentem suam ubi loquitur de *Offeritorio*: «Il faut songer que le prêtre offre au nom de toute l'Église, et qu'en lui et par lui, tous les assistants doivent aussi offrir à Dieu leur sacrifice: de sorte que la meilleure manière de participer à cette sainte action, c'est de s'unir à l'intention du prêtre offert, et de s'offrir à Dieu avec Jésus-Christ comme une hostie vivante pour accomplir sa volonté en toutes choses. *Œuvres de Bossuet*. Paris. 1826. tom. XXVIII. p. 300.

(3) Cf. Massuetum in not. ad. h. l. cum enim Græbrius hoc s. martyris testimonio abusus esset, hæc scribit vir doctus: «Apertus est verborum istorum sensus, nec in iis offenderet vel cæcus quispiam. Nempe David vocat sacerdotem scitum, quia omnes justi (vel ut habet alia lectio, omnis rex justus) sacerdotalem habent ordinem. Id ipsum est quod de piis quibusque christianis dixit Petrus Ep. I. cap. 2. *Regule sacerdotium, sanctum sacerdotium esse*, videlicet, ut statim explicat, *ad offerendas Deo spirituales hostias*. Ecce tamen Græbrius primus omnium, quem sciam, iis Irenæi verbis misere abutitur, ut sanctissimum antistitem per fas et nefas, et oborto, ut aiunt, collo, puritanis tradat: quasi illius sententia fuerit, quod omnes fideles sint sacerdotali ordine ac potestate præditi, ejusque exercitium, ubi necessitas requirit, obire queant. Quæ absurdum sensum solum in Irenæi verbis expiscatus fuerit, nullus certe alius ex mortalibus, si sanus fuerit, deprehenderit.» Attamen adversarii nostri non videntur causam communem agere cum protestantibus. Sed cf. eundem auct. *Diss. III. art. 8. § 100.* ubi late Græbrius confutatur.

(4) Cf. tamen Valesium ad loc. cit. Evagrii. Ipse tamen supponere videtur Simeonem fuisse presbyterum. Cf. præterea Nat. Alex. *Diss. XIII. in sec. 15. et 14.*

ipsis monumenta afferuntur, penitus evanescent.

PROPOSITIO V. — *Specialis sacrificii applicatio pro aliis quibus personis a sacerdote fieri potest, quæ fit, ut specialis fructus iis, pro quibus applicatur, ceteris paribus, proveniat.*

Est fidei proxima; ad truitur autem, ut inimus, adversus synodum pistoriensem, quæ prop. XXX. *Profitemur credere sacrificii oblationem extendere se ad omnes, ita tamen, ut in liturgia fieri possit specialis commemoratio aliquorum tam vivorum quam defunctorum, precando Deum peculiariter pro ipsis. Non tamen quod credamus in arbitrio esse sacerdotis applicare fructus sacrificii cui vult; imo damnamus hunc errorem velut magnopere auferentem jura Dei, qui solus distribuit fructus sacrificii cui vult, et secundum mensuram, quæ ipsi placet; unde et consequenter tradit velut falsam opinionem inveciam in populum quod illi, qui elemosynam subministrant sacerdoti sub conditione, quod celebret unam missam, specialem fructum ex ea percipiant. Hæc autem doctrina sic intellecta, ut præter peculiarem commemorationem et orationem, specialis ipsa oblatio, seu applicatio sacrificii, quæ fit a sacerdote, non magis prosit, ceteris paribus, illis, pro quibus applicatur, quam aliis quibuscunque; quasi nullus specialis fructus proveniret ex speciali applicatione, quam pro determinatis personis, aut personarum ordinibus faciendam commendat ac præcipit Ecclesia, speciatim a pastoribus pro suis ovibus: quod velut ex divino præcepto descendens a Tridentina synodo discrete est expressum, ut falsa, temeraria, perniciose, Ecclesie injuriosa, inducens in errorem alias damnatum in Wicleffo proscribitur in dogmatica Constitutione *Auctorem fidei*.*

Sic vero propositionem nostram adstruimus: specialem oblationem, seu sacrificii applicationem pro determinatis personis, aut personarum ordinibus commendat et præcipit Ecclesia speciatim pastoribus pro ovibus suis, idque tanquam ex præcepto divino descendens: sic enim loquitur Tridentinum sess. XXIII. cap. 1. de Reform. *Cum præcepto divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his sacrificium offerre, ex quibus verbis Benedictus XIV. in Encyclica *Cum semper* intulit: *Eos, quibus animarum cura demandata est, non modo sacrificium missæ celebrare, sed illius etiam fructum medium pro populo sibi commissio applicare debere, nec illum pro aliis applicare* (1). Tam igitur ex concilio Tridentino, quam ex Benedicto XIV. pro certo assumitur specialem posse fieri applicationem sacrificii pro determinatis personis. Ergo specialis sacrificii applicatio a sacerdote fieri potest.*

Quod vero ex speciali hac applicatione specialis fructus proveniat iis pro quibus offertur, manifeste colligitur ex errore Wicleffi in concilio Constantiensi damnato: *Speciales orationes applicatæ uni personæ, per prælatos vel religiosos, non plus prosunt eisdem, quam generales*. Doctrina proinde Ecclesie est fructum specialem ex hujusmodi speciali applicatione pervenire. Licet enim Wicleffus locutus tantum fuerit

(1) In ejus Bullario tom. I, pag. 367. § 2.

de applicatione speciali orationis, cum tamen eadem ratio militet pro sacrificio missæ, merito inferitur peculiarem fructum, ceteris paribus pervenire in eos pro quibus specialiter offertur. Missa enim quoad applicationem ad genus orationis pertinet (1).

Quare non solum in V. T. offerri solebant sacrificia pro particularibus personis aut negotiis, sed etiam in N. T. innumera prope suppetunt ex antiquitate documenta hujus peculiaris oblationis seu applicationis. Tertullianus enim: *Pro cuius spiritu*, inquit (*primæ defunctæ uxoris*) *postulas, oblationes annuas reddis* (2). S. Cyprianus noluit, ut juxta antiquos canones, sacrificium offerretur pro anima Victoris, qui clericum constituerat bonorum suorum œconomum (3). Oblatum pro anima imperatoris Constantini sacrificium refert Eusebius in ejus vita (*Lib. IV. cap. 121*). S. Augustinus testatur oblatum esse pro matre sua *sacrificium pretii nostri* (4); idemque factum esse in obitu ejusdem s. doctoris narrat Possidius (5). Thomassinus plura affert exempla missarum, quæ sec. VI. et VII. celebrabantur pro singularibus personis (6). In lib. Sacram. s. Greg. M. plures pariter exhibentur orationes pro animabus illorum pro quibus offerebatur sacrificium (7). In Missali Ambrosiano plures missæ continentur pro singularibus personis ac negotiis (8). Omnes liturgiographi, Renaudotius, Assemanus, Mabillonius ceterique missas pro singularibus personis applicatas collegerunt.

Hinc optime s. Thomas ex Ecclesiæ universalis praxi ita argumentatur: *Si ergo suffragium pro multis factum valet singulis tantum ac si pro uno tantum fieret, videtur quod Ecclesia non debuit instituire, ut pro aliquo fieret singulariter missa, vel oratio, sed quod semper diceretur pro omnibus fidelibus defunctis: quod patet esse falsum* (9).

Tum igitur ex natura rei, tum ex doctrina et praxi constanti, universali ac perpetua Ecclesiæ constat posse a sacerdote missam specialiter applicari seu offerri pro aliquibus personis, quo fiat ut specialis fructus, etc. (10).

(1) Cf. Drouvenium *De re sacrament.* lib. v. Q. 7., cap. 5.

(2) Lib. *De exhortat. castit.* cap. 11. eadem habet in lib. *de Monogam.* c. 10.

(3) Ep. LXVI. ad Clerum et Pleb. Furnian.

(4) Lib. IX. *Confess.* c. 12. n. 32.

(5) Cap. 51. ubi scribit, «*Nobis coram pro commendanda corporis depositione sacrificium Deo oblatum est, et sepultus est.*» Opp. s. August. edit. Maur. tom. X. in append. p. 230.

(6) *De beneficiis* P. I. lib. 2. cap. 73. et P. III. lib. I. cap. 69. P. 2. lib. I. cap. 77.

(7) Cf. tom. III. Opp. s. Greg. M. edit. Maur. p. 217. et seqq.

(8) Uti e. g. pro imperatore, pro rege, pro sponsis, etc. In sacramentariis Gelasiano ac Leoniano editis primum a B. Card. Thomasio, ac deinde a Muratorio, reperiuntur orationes quibus «*Dona offerentur et divinum auxilium pro offerentibus enixe efflagitur.*» Gregorius Turonens. lib. *De gloria confessor.* Cap. 65. refert quod mulier quædam quotidie fecerit «*Oblationem pro memoria viri, non diffusa de Domini misericordia, quod haberet defunctus requiem in die qua Domino oblationem pro ejus anima debasset.*» Cf. opp. edit. Ruinartii. Paris. 1699. p. 947. cum nota editor.

(9) In suppl. Q. 71. an. 15.

(10) Cf. Martenium *de Antiquis eccl. ritibus* lib. I. tit. 9. § 8. tum art. 19. ord. 6. cap. 4. art. 1. § 6. ubi plures re-

cujusmodi est sacrificium nostrum non magis prodesse potest uni pro quo specialiter offertur, quam universo fidelium cœtui; 2. præsertim si fructus sit generalis et singulos tam vivos quam in charitate defunctos comprehendat; at omnes reipsa sacrificium missæ comprehendere binæ illæ orationes indicant, quæ in ejus celebratione recitantur, nempe: *Memento, Domine... Omnium quorum tibi fides cognita est et nota devotio... Et omnibus in Christo quiescentibus locum refrigerii, lucis et pacis ut indulgeas deprecamur.* 3. Stipendium propterea sacerdoti datum, ut missam celebret, illud unum meritum habet, quod proprium est exhibitæ eleemosynæ; 4. tametsi magis expediret tanquam abusum omnem hanc eleemosynarum largitionem e medio tollere, quippe quæ nimis valent fovendæ sacerdotum avaritiæ, et scandalo ac offensionibus et negligentibus meis juxta doctrinam Apostoli, Heb. V. 3. Tertius fructus subest dispositioni sacerdotis, ut applicet cui voluerit, et oritur ex natura sacrificii, quod ita institutum est, ut pro hominibus offeratur ac præterea iis prodesse debeat pro quibus offertur (1). Porro ab hac speciali applicatione, pendet medius hic fructus, qui plane distinguitur a duobus prioribus.

Resp. Ad 1. Dist. Quod est infinitum seu infiniti valoris tum ratione sui, tum ratione effectus seu efficaciac, C. quod infinitum tantum est ratione sui, non autem ratione effectus, N. Licet enim sacrificium altaris ratione victimæ quæ offertur ac principalis offerentis qui est Christus Dominus sit infinitum seu infiniti valoris, tamen non infinitas producit effectus, sed applicat nobis meritum sacrificii crucis modo finito. Ita enim voluit auctor ejus Christus, qui nec meritum sacrificii crucis ad omnes extendit, nempe ad Angelos rebelles, quos a redemptione exclusit (1). Posito autem, quod sacrificium altaris finitum sit quoad suos effectus, plane consequitur iis plus prodesse, ceteris paribus, quam aliis pro quibus non applicatur. Quoad eos etiam pro quibus applicatur sive offertur, finitum tantum producit effectus, ut patet ex praxi Ecclesiæ, quæ consuevit pro uno eodemque defuncto plura offerre sacrificia, alioquin unum satis esset ad omnium animarum libertatem impetrandam (2).

censet missas quæ pro singularibus personis aut personarum cœtibus celebrari consueverant. Id ipsum constat ex Mabillonio in opp. *De liturg. Gallicana.* Append. V. p. 493. 463. Cf. etiam de Berlendis opp. cit. *De oblationibus ad altare.* p. 253. et seqq. et alibi passim.

(1) Cf. Card. Bona *De sacrif. Missæ* cap. 1. § 4. qui inter cetera scribit: «*Neque considerandum est id, quod in sacrificio continetur tanquam ens quoddam naturale agens secundum summum gradum virtutis suæ, sed ut ens liberum, cujus operatio tantam habet efficaciam, quantum habere vult ipsum agens principale Christus Redemptor noster, qui hoc inveniunt sacrificio vult nobis applicari finitum tantum, et limitatum fructum suæ passionis.*»

(2) De Berlendis opp. cit. *De oblat.* etc. § 12. n. 7. ostendit usum antiquissimum de celebratione anniversaria sacrificii missæ pro defunctis, nec non de eadem celebratione die *tertia, septima, nona, trigesima, quadragesima* a die obitus; idque vincit auctoritate Tertulliani, Ambrosii, Augustini. Quibus vir doctus addere potuisset auctoritatem s. Gregorii Magni in ejus libro sacramentorum exhibetur: *Missam unius defuncti, item Missam in die depositionis defuncti, sive III. VII. trigesimoque.* Cf. opp. edit. Maur. tom. III. p. 218.

*Ad 2. Dist. Si in applicatione ageretur de fructu generali, C. si de fructu medio, ut vocant, N. Omnes enim norunt triplicem esse fructum missæ, generalem, specialem et medium. Primus pertinet ad omnes fideles, et ex eo provenit, ut loquitur Card. Bona, quod generaliter pro omnibus fidelibus vivis et defunctis offertur. Est enim idem quoad substantiam cum sacrificio crucis, quod pro omnibus oblatum est, et ex canone constat debere sacerdotem pro omnibus applicare, pro papa, pro episcopo, totaque Ecclesia militante et purgante, et non potest non applicare, cum sit ab Ecclesia ad hoc specialiter deputatus. Quocirca is fructus ad omnes fideles extenditur, qui neque ab Ecclesiæ unitate sunt divulsi neque ullum ponunt obicem. Secundus fructus est proprius celebrantis, et in eo fundatur, quia sacerdos offert etiam pro se ipso: *Offero*, inquit, *pro innumerabilibus peccatis, et offensionibus et negligentibus meis* juxta doctrinam Apostoli, Heb. V. 3. Tertius fructus subest dispositioni sacerdotis, ut applicet cui voluerit, et oritur ex natura sacrificii, quod ita institutum est, ut pro hominibus offeratur ac præterea iis prodesse debeat pro quibus offertur (1). Porro ab hac speciali applicatione, pendet medius hic fructus, qui plane distinguitur a duobus prioribus.*

Ad 3. Neg. Nam præter meritum eleemosynæ, qui eam tribuit, habet jus, ut pro se applicetur seu offeratur sacrificium, illumque fructum reportet qui ex ejusmodi applicatione in ipsum redundat, si nihil obest, aut saltem per illum efficacius sese disponere possit ad obtinenda auxilia quibus a peccato liberetur.

Ad 4. Neg. posse vocari abusum hanc institutionem ab Ecclesia probatam, et a remotissima antiquitate provenientem, nempe ex oblationibus quas fideles faciebant tum ut præsto esset quidquid sacrificio necessarium esse poterat, tum ut ipsi ministri sustentarentur (2). Quod si ex hominum malitia aliquis abusus irrepserit, abusus corrigendus est, non autem usus tollendus. Hos reipsa abusus quantum ex se erat sustulit concilium Tridentinum (3), ac deinde romani pontifices nunquam non vigilarunt, ac pluribus editis constitutionibus sedulam navarunt operam ne denuo inducerentur, aut, si qui introducti erant, depellerentur (4). Quæ si rite observantur, nullum profecto scandalum inde pati possunt fideles ex ejusmodi eleemosynis, cum et ipsi bene noverint, vivere debere de altari, qui altari serviunt (5).

(1) Cf. Card. Bona op. et l. c.

(2) Mabillon in Prologo ad 5. sec. Benedict. P. I. § 62. Cf. etiam op. cit. P. De Berlendis *De oblationibus peculiaribus sive de Missæ stipendio.* Pars altera § 1. et seqq. ubi erudite versat hoc argumentum ita ut nihil desiderari possit.

(3) Sess. 22. in Decreto *De observandis et evitandis in celebratione Missæ.*

(4) In Bullar. ejusdem pontif. tom. I. p. 56. ante Benedictum XIV. plures alii pontifices id ipsum præstiterunt haud paucis editis constitutionibus, quæ notissime sunt.

(5) Jo. Gersonius in Opuse. *De sollicitudine ecclesiasticorum* quod exstat tom. II. opp. ed. Ell. Du Pin egregie adstruit honestatem usus seu praxim recipiendi eleemosynas pro celebratione missarum.

Ad 5. Neg. Siquidem applicatio nihil aliud est, quam oblatio pro illis quorum generatim aut singillatim commemoratio fit, ex intentione, ut, ceteris paribus, magis eis prosit. *Pro quibus tibi offerimus* dicitur in canone. Vi enim hujus intentionis quam habet offerens, determinatur oblatio pro peculiari, aut peculiaribus personis pro qua aut pro quibus ille sacrificium offert (1).

Ad 6. Neg. Cum enim Christus contulerit Ecclesiæ suæ facultatem sacrificii offerendi, hoc ipso dedit ei facultatem illud applicandi quoad fructum medium de quo disserimus pro particularibus personis; ut ex ejus perpetua praxi luculentissime constat. Absurdum porro est affirmare, eripi ab Ecclesia supremo Numini libertatem habendi gratum, acceptum, ratumque quod in votis se habere proficitur hæc eadem Ecclesia juxta potestatem sibi a Christo traditam; multo autem absurdus est asserere per ejusmodi potestatis exercitium lædi jura Dei. Numquid minister censetur jura principis lædere dum favorem alicui impertitur, si ab ipso principe eum dispensandi prius habuit facultatem (2)?

CAPUT IV. DE IDIOMATE, VOCE, AC CEREMONIIS QUIBUS MISSA CELEBRANDA EST.

Discussis ac vindicatis, quæ ad intrinsecam sacrificii eucharistici naturam spectant, superest ad tractatus absolutionem ut ordinem tueamur ab Ecclesia præscriptum in ejusdem celebratione. Hoc autem assumimus tum adversus novatores qui Ecclesiæ crimini vertunt missæ celebrationem in ignota lingua, ut ipsi aiunt, atque submissa voce, ceremonias vero tanquam ludieras et theatrales traducunt; tum adversus synodum pistoriensem, quæ illorum vestigia premere verita non est sub specioso prætextu collapsam veterem disciplinam instaurandi.

PROPOSITIO I. — *Nec licet, nec expedit lingua tantum vulgari missam celebrare.*

Sic enim decrevit Tridentina synodus sess. XXII. cap. VII. *Etsi missa magnam contineat populi eruditionem, non tamen expedire visum est patribus ut vulgari passim lingua celebraretur. Quamobrem, retento ubicunque cujusque Ecclesiæ antiquo et a sancta romana Ecclesia omnium ecclesiarum matre et magistra probato ritu, ne oves Christi esuriant... mandat sancta synodus pastoribus, et singulis curam animarum gerentibus, ut frequenter inter missarum celebrationem vel per se, vel per alios, ex iis, quæ in missa leguntur aliquid exponant, atque inter cetera sanctissimi hujus sacrificii mysterium aliquod declarent, diebus præsertim dominicis et festivis; et can. IX. Si quis dixerit... lingua tantum vulgari missam celebrari debere, anath. sit. Ex his patet merito in constitut. Unigenitus proscriptam esse propositionem LXXXVI. Quesnelli quæ ita se habet: *Eripere simplici populo hoc solatium jungendi vocem**

(1) Cf. Card. Bona opp. cit. cap. 1. § 3.

(2) Alias difficultates seu potius tricas affert et diluit s. Thomas suppl. Q. 71. ar. 15.